

[Faint handwritten text on a label on the spine]



Sammelbd

Quint. 1. Teil

13 Alph. 13 beginn

IN NOMINE JESU!

ANGELOLO-

GIA APOSTOLICA,

ex Hebr. I. ult.

In Solenni atq̄ue inaugurali DISPUTATIONE
repetita,

Quam

Ex Decreto Venerandæ atq̄; Amplissimæ Fac. Theol.

IN ILLUSTRIS ACADEMIA JENENSI

SUB PRÆSIDIO

Viri maxime Reverendi, Amplissimi atq̄; Excellentissimi

DN. JOHANNIS MUSÆI,

SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROF. P.

PRIMARI,

PRO LICENTIA

Supremum in S S. Theologiâ

Gradum consequendi,

Ad diem 13. Octobr.

Horis ante - & pomeridianis

*publicè ventilandam**proponit*

M. JOHANNES GOTTFRIDUS OLEARIUS,

Designatus Gymnasii Augusti Leucopetr. Professor

Theologiæ & Philosophiæ Moralis.

JENÆ, Typis JOH. JACOBI BAUHOFERI,

ANNO M. DC. LXV.

V. B. M.

REVERENDISSIMO ATQUE SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
AUGUSTO,
PRIMATUS ET ARCHIEPISCOPATUS
MAGDEBURGENSIS
POSTULATO ADMINISTRATORI,
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ
AC MONTIUM,
LANDGRAVIO THURINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ, NEC NON
UTRIUSQUE LUSATIÆ,
COMITI IN MARCA, RAVENBURGO ET BARBY,
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN, &c.

Principi ac Domino meo Clemen-
tissimo

Disputationem hanc Inauguralem

Humillimè offero

Ipsius Reverendissima Serenitatis

subjectissimus

M. JOHANNES GOTTFRIDUS OLEARIUS.

I. N. J. A.

Dùm Ecclesia Christiana Angelorum celebrat Festum, & DEO Patri Spirituum, Æternoque ejus Filio, Michaëli magno, Angelorum omnium Conditori & Domino, nec non summo piorum Paracleto gratâ mente ingeminat Hymnum:

*Dicimus grates Tibi summe rerum
Conditor, Gnato tua quòd ministros
Flammeos finxit manus Angelorum,
Agmina pura.*

*Qui tua lucis radiis vibrantes
Te vident lætis oculis, tuasq̃
Hauriunt voces Sapientiæq̃
Fonte fruuntur. &c.*

Dùm Angelorum invocationi superstitiosæ vacat Patus, & honorem, soli Creatori debitum creaturis defert. Meritò pii ex Scripturarum fontibus veram de Angelis doctrinam recolunt. Cùm itaque nobis etiam, temporis rationem habituris,

Angelologia Apostolica

Ex Hebr. c. i. v. ult. hæc vice repetenda sit publicè, placet universum hoc negotium tribus includere Capitibus, quorum

1. *Analysin Textus,*
2. *Exegesin,*
3. *Antithesin*

inprimis Pontificiam ostendet, ad Nominis Divini gloriam & Veritatis salvificæ propagationem, FIAT!

A 2

Sic

Sit ergò in Nomine JESU

CAPUT I.

continens

ANALYSIN
Textus Apostolici.

TEXT.

Hebr. cap. I. 14.

Οὐχὶ πάντες (ἄγγελοι, ex v. 13.) εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποτελλόμενα διὰ τῆς μέλλουσας κληρονομεῖν σωτηρίας;

Nonne omnes (Angeli) sunt administratorii Spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis?

(Eodem ferè modò præsentem Textum exprimunt Versio Syriaca, Arabica, & Æthiopica.)

Proponitur h. l. ab Apostolo quæstio, æquipolens enunciationi *categoria universalis affirmativa*: Omnes Angeli sunt Spiritus administratorii, & c.

Subjectum enim de quo h. l. loquitur Apostolus, sunt Angeli, ex vers. præced. 13. (scilicet Boni) & quidem omnes.

De quibus prædicatur, quòd sint: (1.) Spiritus. (2.) Administratorii. (3.) Emissi in ministerium. (4.) Pro-

Propter eos (homines) qui hæreditatem salutis accipient. Quid verò sibi velint verba singula, patebit ex seqq.

§. I. ἔχει, *Nonne*. Similis loquendi ratio, affirmativæ æquipollens, occurrit non modò in hac ipsâ Epistolâ ad *Hebr. cap. 3, 17.* quibus autem infensus fuit & c. nonne iis qui peccaverant, ἔχει τοῖς ἀμαρτήσασιν, verùm etiam apud Evangelistas passim, Sic *Matth. 6, 25.* ἔχει nonne anima plus est quàm cibus, i. e. omninò anima præstat cibo. Et *cap. 20, 13.* Nonne denario pactus es mecum?

Undè *Beza* ad h. l. rectè annotat: Ejusmodi interrogationes (ἔχει, nonne?) apud Hebræos vehementiùs affirmant.

Et *Cornelius à Lapide*: *Vox Nonne non tam interrogat, quàm planè asserit*: Interrogatione enim utuntur Hebræi, quandò rem magis stabilire & asseverare volunt, q. d. Angeli non sedent ad dextram DEI, uti Christus, quia ipsorum est ministrare DEO, & mitti ad salutem hominum procurandam, itaque subservire Christo.

§. II. πάντες, *omnes*. Nota universalitatis, omnes & singulos includit Angelos bonos, de quibus h. l. sermo est, uti testatur universus contextus. Ne enim putemus, hoc esse quibusdam inferioris ordinis Angelis proprium, docet Apostolus, omnes Angelos esse Spiritus ministratorios, uti monet *Jacobus Cappellus* ad h. l.

Quod nec ipse *Cornelius à Lapide* negare audeat. uti patebit ex illius verbis inf. cap. 2.

A 3

§. III.

§. III. ἄγγελοι, *Angeli*. Vox Angeli, ex præced. versu h. l. repetenda, Angelos bonos, nullo eorum excepto, innuit. Hoc enim vocabulum à verbo ἀγγέλλειν deductum notat nuncium, quamvis Jacobus Cappellus h. l. malit respicere ad nomen ἄγγελος. Dicebantur autem ἄγγελοι vocabulo Persico, à Græcis postea recepto, Regum nuncii seu Tabellarii, qui ex successione literas perferunt. Solebant enim Reges Persarum certis stationibus dispositos habere tabellarios & nuncios, quorum alter alteri traderet mandata, ita ut celerius perferrentur. *Vid. Henricus Stephanus Thes. Græc. Ling. Max. Rev. & Exc. Dn. D. Gerhardus, Præceptor atque Patronus meus atatem colendus* in Notis ad *Matth. 5. vers. 41.* Et Martinius in *Cadmo*, qui itidem Angelum à voce ἀγγελλειν, servus, dici posse existimat, cum apud Hesychium ἀγγέλλει sit Angelus. Idem existimat, quod ἀγγέλλω dicatur quasi ἀναλέγω, Vel ab ἄγω, fero. Vel ab ἀνά & κέλλω, moveo. Qui enim mittit, facit, loco moveri. Vel etiam ex ἀνά & κέλλω Mando, ut sit, amando.

Tribuitur autem vox Angeli I. *Creatori* sive Filio DEI, tum incarnando, *Genes. 48. 16. Exod. 23. 20. Esa. 63. 9.* tum incarnato, *Apocal. 8. 3. cap. 10. 1.*

II. *Creaturis*. Et I. quidem *Creaturæ invisibili* sive Angelis, tum bonis *Matth. 4. 6. & h. l.* tum malis *Matth. 25. 41.* quamvis Diaboli non tam à DEO eodem modo, ut Angeli boni, missi dicantur, quam sponte se ingerentes, nequaquam ut profint, sed ut nocent. *Conf. Job. c. 1. vers. 6. 2.* *Creaturæ visibili*. Dicuntur enim Angeli tum *Ecclesiæ ministri* in genere,

Mal.

Mal. 3. 1. Apoc. 2. 1. tūm Johannes Baptista peculiariter,
Matth. XI. 10. Confer & Beatorum encomium, qui
ἰσάγγελοι vocantur, non tam ob officium, quàm ob
dotes spirituales & Angelicas. *Matth. 22. 30. Vid. Comm.*
Dn. D. Gerhardi h. l.

§. IV. εἰσὶ, sunt. Copulæ officio fungitur.

Aliàs notat etiam 1. *Essentiam* 2. *Existentiam* 3. *Sub-*
sistentiam, *Joh. 1. 1. Vid. Chem. Harm. col. 9. C. Gerhard.*
Exeg. p. 1168. & Glass. Philol. S. p. 309. nec non Tarnov. &
Lyscr. in Joh. 1.

§. V. Λειτουργία, *administratorii.*

Vocabulum λειτουργίας tribuitur 1. *Christo*, *Hebr. 8. 6.*
2. *Angelis*, *Hebr. 1. 14.* 3. *Hominibus*, in statu œcono-
mico, *Phil. 2. 25. 30.* Politico, *Rom. 13. 6.* Ecclesiastico,
& quidem tūm in V. T. *Hebr. 10. 11.* tūm in N. T. & cu-
ratori pauperum, *Rom. 15. 27.* & Ecclesiæ ministris,
Rom. 15. 16. Conf. B. Gerhardum in Loc. Theol. Tom. 6. p. 13. &
notas Erasmi Schmidii ad h. l. ubi dicit: λειτουργεῖν (de-
rivatum à λειτουργός, quod olim significavit publicum,
apud Achæos curia publica) extat *Act. 13. 2. Rom. 15. 27.*
Hebr. 10. 11. ac proprie significat publicum munus obire &
administrare, ex mandato injunctum officium præsta-
re. Indè ὁ λειτουργός, *publicus minister*, *Rom. 13. 6. 15. 16.*
Phil. 2. 25. it. ἡ λειτουργία *publici ministerii administratio*,
Luc. 1. 23. 2. Cor. 9. 12. Phil. 2. 17. 30. Quæ vox in Græca
Ecclesiâ in specie de S. Cœnæ administratione usurpata fuit
καὶ ἐξοχήν: undè & Germanicæ Ecclesiæ sæpè S. Cœnæ
administrationem das *Umbt* vocant. Hinc λειτουργί-
κός, ad λειτουργίαν *pertinens vel destinatus.* (Quæ vox
semel tantūm in N. T. h. l. videl. reperitur.)

Ludo.

Ludovicus Cappellus h. l. existimat, Aposto-
 lum allusisse ad etymon vocis Hebraicæ אַנְגֵל , quā
 Angeli in Scripturā vocantur. Nam אַנְגֵל videtur
 omnino olim significasse Hebræis operari, לειτουργεῖν .
 Siquidem inde est תְּכֵנִיט opus, ars, artificium, quod
 à LXX. redditur interdum ἔργον λατρευτὸν , semel au-
 tem λειτουργία , 1. *Par.* 26. 30. Itaque אַנְגֵל primò mi-
 nistrum, famulum, λειτουργόν , deinde verò nuncium
 sive ἄγγελον significasse videtur. Unde postmodum
 voce illā ad Spiritus cœlestes traductā, Angeli
 מַיְכַלִּים sunt dicti, quòd DEI sint tum ministri,
 לειτουργοί , tum etiā Nuncii, ἄγγελοι . Indeque est,
 quòd subjunxit Apostolus ἀποσελλόμενα , ut geminā
 illā voce λειτουργικά & ἀποσελλόμενα totam vim vocis
 מַיְכַלִּים exprimeret. Respexit etiā procul dubio
 Apostolus ad phrasin antiquam Rabbinicam, quā à
 Judæis ab omni ævo in Talmud Angeli passim dicun-
 tur תוֹשְׁמֵי כַּף q. d. $\text{ἄγγελοι λειτουργίας}$ sive λειτουργικάς .
 Nam תוֹש est לειτουργεῖν , ministrare. Porro ministe-
 rium illud Angelorum erga pios ad DEI nutum a-
 gnoscunt Judæi, qui sic in suo Euchologio DEUM
 compellant: Præcipe Angelis tuis qui constituti sunt
 supra res humanas, ut sint mihi auxilio, me juvent,
 fervent liberentque.

Cæterum vana est nonnullorum ex h. l. subtili-
 tas, qui existimant, Angelos esse inferiores homini-
 bus, quibus ministrant. Quia Angeli sunt ministri
 DEI, defendentes vitæ æternæ Candidatos; quemad-
 modum etiā summus aliquis summi Principis mini-
 ster jussu superioris salvā dignitate, vel infimos sub-
 ditorum aut agricolarum ab injuriis defendere potest.

§. VI.

§. VI. πνεύματα, Spiritus.

Vocabulum *Spiritus* tribuitur I. *Creatori*, & quidem (1.) ἑσσιωδῶς seu essentialiter, *Joh. 4, 24.* Deus est Spiritus. (2.) ὑποστατικῶς, seu personaliter, & notat tertiam personam SS. Trinitatis, sive essentiam divinam, prout tertiæ personæ à Patre & Filio per ἐκπόρευσιν immaterialem, immanentem & æternam communicata est, & in illâ subsistit. *Luc. 1, 35.* Spiritus Sanctus superveniet te. Conf. Bb. *Gerhardus* & *Balduinus de loco Rom. 1, 4.* ubi vocem πνεύματ & de divinâ τῆ λόγῃ naturâ nonnulli accipiunt. (3.) μετανομικῶς, & notat non tam ipsam personam, quàm effecta atque dona Spiritus Sancti, *Num. XI. 17.* Auferam de Spiritu tuo, & tradam eis.

II. *Creaturis* invisibilibus: Angelis, inprimis verò bonis h. l. & animæ humanæ, *Eccles. 12.* atque vento, *Gen. 8, 1.* &c.

Confer de variis hujus vocis significationibus, *Chemnitium* & *Gerhardum Tom. 1. Loc. Glasii Rhetor. S. Christ. Matth. Colleg. 2. Antiphotin. Flacium, Ravanelum,* & similes.

§. VII. *eis, in.* Præpositio hæc varias interdum significationes ex contextu distinguendas & investigandas admittit, de quibus B. *Glassii* videri potest in *Philologiâ sive Grammaticâ* S p. 492. pag. 499. & pag. 539.

§. IIX. διακονία, ministerium.

Hæc vox, & cognata διάκον & κονέω, operor, ex observatione *Martini* in *Cadmo*, licet B.

B

Ger-

Gerhardo Tom. 6. Loc. p. 7. derivatio à δια & κόνις vel κόνια
arrideat, ut διακονῆν sit *servire & laborare in pulvere ad
sudorem quasi pulvereum*, quòd ministri per pulverem
& loca abjectissima, im Staube/Wind und Regen/
cogantur expedire munera officii.

Notat autem διακονία generaliter quodvis ministerium
feu servitium alteri exhibitum. Sic Martha Luc. 10. 40.
distrahebatur circa frequens ministerium.

Et tribuitur non modò Angelis h. l. Sed etiam
Apostolis Act. 1, 17. quibus διακονία ἔ λόγος ministe-
rium verbi, assignatur Act. 6, 4. & reliquis Ecclesiæ
ministri Rom. 12. 7. qui cum Paulo positi sunt eis δια-
κονίαν, ad ministerium. 1. Tim. 1. 12.

Conf. specialiore[m] acceptionem Act. 6, 1. ubi διακονία
certam ministerii Ecclesiastici partem, distributionem scil.
necessariorum bonorum & collectarum Act. XI. 29. de-
notat.

§. IX. Ἐποπέμμενα, qui emittuntur.

Vocabulum Ἐποπέμμεν à πέμνω, mitto, instruo, hîc
de Angelis adhibitum, includit (1.) *Distinctionem.* (2)
Subordinationem mittentis & missi. (3.) *Determinationem*
ad certum munus & officium, jussu superioris expe-
diendum.

Secus res habet, cum in divinis Filius mitti dici-
tur à Patre, Johan. 17. 3. & Spiritus Sanctus à Patre &
Filio, Johan. 14. 26. c. 16. 7. tum enim missio non im-
portat superioritatem mittentis ad missum, sed ordi-
nem saltem & distinctionem, quæ cum utriusque æ-
qua-

qualitate bene stare potest. Confer *Chemnitium Tom. 1. Loc. de DEO.* Non autem vox ἀποπελλόμενα vertenda hoc loco est *missi*, sed *qui mittuntur*: cum Græcis sit præsens, uti monent *Erasmus, Valla & Vatablus.* Mittuntur enim etiamnum & quotidie.

§. X. διὰ, propter.

Varias hujus vocabuli significationes singulari studio exposuit B. Glassius in *Gramm. S. p. 506. seqq.*

Hic finem ministerii Angelici denotat, & commodè redditur per voculam *propter.* Mittuntur enim διὰ τῶν μέλλοντων κληρονομεῖν σωτηρίαν, i. e. propter eos, qui hæredes erunt salutis, ut scilicet illos perducant ad salutem. Ubi etiam notandus est Græcismus, quo διὰ τῶν μέλλοντων κληρονομεῖν, i. e. propter futuros hereditare dicitur pro iis, qui hereditabunt.

§. XI. τῶν μέλλοντων, eos qui erunt.

Christiani, inquit Grotius h. l. rectè dicuntur μέλλοντες &c. in id enim destinantur, & eò pervenient, nisi ipsi sibi met obstent.

§. XII. κληρονομεῖν.

Vocabulum κληρονομεῖν notat jure hereditario possidere: Est enim vita æterna (status Beatorum) hereditas, *Act. 20. 32. Gal. 3, 18. Eph. 1, 14. &c.* divitiæ hereditatis Christi, i. e. quam Christus promeruit ac donat, *Eph. 1. 18.* hereditas in Regno DEI, *Eph. 5, 5.* retributio hereditatis, *Col. 3. 24.* hereditas salutis, *Hebr. 1. 14.* hereditas æterna, *Hebr. 9. 15.* hereditas ἀφθαρτῆς καὶ ἀμίαντῆς, καὶ ἀμάραντῆς τετηρημένη ἐν ἑσρανοῖς *I. Pet. 1. 4.*

Quā de re præclarè monet *B. Gerhardus Tom. 9. pag. 728.* In singulis epithetis est magna emphasis: Est hæreditas *incorruptibilis*, ergò non habet finem vel terminum: Est *incontaminata*, ergò gaudium illius nullâ tristitiâ vel dolore contaminabitur aut perturbabitur: Est *immarcescibilis*, ergò nulla ejusdem nos capiet fatietas, sed illius felicitas in pleno flore ac vigore perpetuò durabit, quâ ratione à terrenâ hæreditate etiam amplissimâ ac verè regiâ distinguitur, quæ & perire potest, & contaminari & marcescere.

Quare autem vita beatorum aeterna hæreditatis nomine insigniatur, facilè cuivis apparet. Pii non obtinent eam operum suorum meritis tanquàm debitam mercedem, sed Christus promeruit eis jus obedientiæ, dedit eis potestatem filios DEI fieri, Joh. 1. 12. quòd si filii, utique & hæredes, Rom. 8. 17. filii DEI per Christum, ergò & hæredes DEI per Christum. Interim ut hæreditas simul est largissima compensatio obedientiæ, quam filius Patri præstat, ita quoque cœlestis hæreditas ratione sequelæ est omnium operum bonorum à piis præstitorum, & omnium passionum ab ipsis toleratarum amplissima remuneratio. Adde quòd hæreditas μετανομιῶν usurpetur pro quavis re gratâ & accepta, quia in populo Israelitico hæreditas, utpote à DEO ipso inter tribus distributa, erat perquam grata & preciosa. Ecquid verò preciosius, gratius & acceptius piis esse potest, quàm vita aeterna? Hæc hæreditas non minuitur copiâ possessorum, nec fit angustior hæredum numerositate, sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus.

Conf.

Conf. ejusdem *Harmon. continuat. h. l. & Comm. in*
1. Petr. 1. v. 4. nec non comment. in Matthæum. Adde
Max. Rev. & Excellentiss. Dn. D. Chemnicium, Patronum
atq. Præceptorem meum filiali observantiâ prosequendum,
in Comm. in Artic. 3. Form. Concord. Diss. 4. §. 7. ubi Justi-
fiam & salutem nostram gratiæ divinæ & merito
Christi fide apprehenso vindicat, & addit: Opera sive
sint præcedentia, sive præsentia, sive consequentia,
à Justificatione planè excluduntur. Conf. Eundem
ibid. Diss. 5. ad Art. 4. Form. Conc. ubi reliquæ hûc spe-
ctantes difficultates solvuntur. Videatur etiam Colof.
1. 12. ubi monet B. Höpfnerus: Ita dicitur vita eterna,
nempe hereditas, quasi per sortem distributa. Unde
κληρονομία est quasi διὰ κλήρας νομὴ, per sortem distribu-
ta hereditas. Sic h. l. In quem Chrysostr. ita com-
mentatur: Cur vocat sortem? Ostendens quod ne-
mo ἀπὸ τῶν πατορθωμάτων ex bonis suis actionibus Re-
gnum assequitur. Sed quomodo fors est potius boni
eventus: ita hîc quoque. Nullus enim sic se vitam pro-
bavit instituisse, ut dignus habeatur regno, sed omne hoc
DEI donum est. Propterea dixit: Cùm omnia feceri-
tis, dicite inutiles sumus, quæ enim debemus facere,
fecimus:

Sic Oecumen. h. l. Rectè sortem, quasi heredita-
 tem quandam & donationem: Non enim dignæ sunt
 passionis hujus temporis, quæ comparentur revelan-
 dæ gloriæ. Ita & Theophylactus: Sortem appellat,
 ut ostendat, quemadmodum fors nullâ obveniat hu-
 manâ solertiâ, sed casu quodam & fortunâ potius ter-
 minetur: *ita & nos nullo nostro vel officio vel virtute di-*
gnamur cœlesti imperio, sed DEI munere, quodcun-

que est boni, ad nos defertur &c. Videantur h. l. pluribus explicata à *Max. Rev. Dn. D. Gottfrido Oleario, Patraele meo honoratiss. in Isag. Antipapist. Art. IV.*

§. XIII. Σωτηριαν, *Salutis.*

Salus est summum Bonum, quo præsente appetitus satiatur, & acquiescit. Cuius fruitio est Beatitudo, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, juxta Boëthium. Complectitur verò tum absentiam omnis mali, tum præsentiam omnis boni. Conf. Psal. 103. 3. Et ostenditur nobis à D E O in hâc vita per fidem in verbo tanquam speculo, Psalm. 91. 16.

Confertur verò perseverantibus in fide in vita æterna, *Hebr. XI. 1.* Aliàs etiam ipse Christus salus nostra dicitur efficienter, finaliter & objectivè, quia salutem nostram acquisivit, applicat, confert, & nos beatos reddit.

CAPUT II.

exhibens

EXEGESIN

Dicti uberiolem.

Quamvis amplissimus sit hic doctrinæ Christianæ Articulus, quem singulari diligentia & acumine Theologico exposuit B. Gerhardus in Disputationibus Itagogicis, placet tamen h. l. quædam, quæ ad Angelologiæ Apostolicæ illustrationem facere possunt, breviter proponere. Sit itaque
Thes.

Thef. I.

Angeli sunt.

Existentia Angelorum probatur 1. ex *Textu*: Nonne Angeli sunt Spiritus administratorii (aliisque Scripturæ dictis, in quibus Angeli mitti dicuntur.) Nisi enim essent, nec ministrare, nec mitti possent. 2. Ex *apparitionibus*. 3. ex *proprietasibus*. Talia enim ipsis tribuuntur, quæ non nisi substantiæ verè existenti conveniunt. Dicuntur enim coram DEO stare, ipsum laudare &c. *Psal.* 103. 20. *seq.* *Pf.* 148. 2. *Dan.* 7. 10.

Observatio 1. Existentiam Angelorum olim negarunt Sadducei *Actor.* 23. 8. & nuper adhuc Anabaptistæ. Videatur *Chemn. part. 1. Loc. Comm. fol. m. 131.*

Observatio 2. Cessatio apparitionis non tollit certitudinem existentia Angelicæ. Fides enim nostra nequaquam apparitionibus, sed perspicuis Scripturæ S. testimoniis nititur. *Conf. Chemnic. l. d.*

Thef. II.

Angeli sunt creati.

Quia ab æterno DEI filio ut Creaturæ h. l. distinguuntur.

Observ. 1. Quòd Moses in descriptione Hexaëmeri Angelorum non expressam fecit mentionem, causa est; quòd ei propositum fuit visibiles saltem creatu-

Creaturas, illarumque productionem describere. Scripsit enim, ad rudem populum informandum.

Observ. 2. Angelos à DEO creatos esse constat, in primis ex *Coloss. 1.* ubi in Christo dicuntur omnia esse condita, in coelis & in terris, visibilia & invisibilia.

Observ. 3. Quoad diei determinationem quâ Angeli sint conditi, præstat ἐπέχειν, quam temerè aliquid definire.

Thes. III.

Angeli, de quibus agit Apostolus, sunt Angelo increato contradistincti.

PER Angelum increatum intelligimus ipsum Filium DEI, Angelorum Creatorem, qui Angelus passim in Scriptura vocatur, tum ante incarnationem in Vet. Test. ut *Gen. 16. 7. c. 21. 17. c. 22. 11. c. 31. 11.* tum post illam in N. T. ut *Apoç. 7. 2. c. 8. 3. c. 10. 1. vid. B. Gerh. Dissp. Isag p. 491.*

Obs. 1. Causæ appellationis (quòd Filius DEI Angelus dicatur) sunt, quia Filius DEI non modò est illa persona, per quam Pater locutus est statim ab initio, sed etiam quia in plenitudine temporis missus est ad carnem assumendam, atque Consilium DEI de salute nostra patefaciendum. l. d.

Obs. 2. Ubi & quando nomen Angeli Filio DEI tribuatur, colligitur imprimis ex eorum, quæ DEI propria sunt, attributione, ut sunt: Nomen Jehovah, attributa & opera merè divina. l. d.

Thes.

Thef. IV.

Angeli sunt Nuncii.

VOx Angeli nomen est non Essentiæ, sed officii. *B. Gerh. Dispp. Isag. pag. 490.*

Observ. 1. Vox Angeli, vi originis, significat nuncium, sive eum, qui ad aliquid annunciandum missus est, denominatione ab officio petita.

Observ. 2. Sicut nuncii officio fungi, etiam hominibus, & speciatim Ecclesiæ ministris convenit, ita & vox Angeli convenit (1.) quibusque hominibus ad nunciandum aliquid missis, *Gen. 32, 3. 1. Sam. 23, 27. Prov. 13, 17.* (2.) speciatim ministris Ecclesiæ, qui Christi nomine legatione funguntur, ut Paulus in *2. Corinth. 5. 20.* loquitur. Videatur *Mal. 2. 7, 6. 3, 1. Matth. 11. 10. Marc. 1, 2. Apoc. 2. 20.*

Observ. 3. Filius Dei apud *Mal. 3. 1.* cum additamento dicitur *Angelus fæderis*, vel quod fœdus gratiæ, de se olim promissum, in diebus carnis suæ esset annunciaturus, vel etiam quod Pater ipsum missurus esset ad fœdus illud consummandum, & suo sanguine confirmandum.

Thef. V.

Angeli sunt Spiritus.

PROBATUR ex Textu: Nonne omnes Angeli sunt Spiritus? *Confer Psal. 104. qui facis Angelos tuos Spiritus.*

Observ. 1. Spiritus vocantur ob spirituales & incorpoream ipsorum Essentiam.

C

Observ.

Observ. 2. Spiritus sunt creati, (ad differentiam Spiritus increati Dei, Spiritus enim est Deus, *Johan. 4.24.* & in primis tertiæ SS. Trinitatis personæ, Spiritus Sancti, ab æternâ spiratione, i.e. à Patre & Filio processione, potissimum ita dicti.) ut patet ex præced. c. 1. §. 1.

Confer & alias Angelorum appellationes apud *B. Gerh. Disp. Isag. pag. 493. seqq.*

Thef. VI.

Angeli sunt Spiritus Administratorii.

Quia (1.) dicuntur πνεύματα λειτουργικά (2.) *missi ad διακονίαν.* Conf. *sup. c. 1. §. 8.*

Observ. 1. Officia Bonorum Angelorum sunt respectu Dei: 1. ψαλμωδία. 2. λειτουργία. 3. λατρεία; respectu hominum, cura & custodia in omni Statu. vid. *B. Gerh. l. d. p. 539.*

Observ. 2. Angeli officia præstant tum DEO, ipsum adorando, *Pf. 97. 8.* laudando. *Psal. 103. 20. Esa. 6, 3.* colendo ac mandata ejus expediendo. *Psal. 148. 2. Esa. 6. 3. Dan. 7. 20.*

Tum Hominibus, (in specie Christianis, iisq; piis. vid. *seqq.*) ipsos custodiendo, ac adversus Satanam, & quælibet ejus organa variaque & innumera pericula protegendo. *Pf. 34. 8. Pf. 91. 11. Heb. 1. 14. Dan. 7.* Conf. inf. Locum ex *Bernh.*

Observ.

Observ. 3. Ergò Angelis, quia sunt Spiritus administratorii, nequaquam debetur invocatio soli DEO debita, *Matth. 4. Conf. inf. cap. 3.*

Thef. VII.

Angeli omnes sunt Spiritus Administratorii.

EX Textu. Ubi nota universalitatis expressè additur.

Observ. 1. Dantur distincti Angelorum ordines, ut patet ex *Col. 1.*

Observ. 2. Distinctio ordinis non tollit universale ministerium. *Conf. inf. Cap. 3.*

Thef. IIX.

Angeli sunt multi.

Dicitur enim in textu: *Omnes* Angeli; quæ locutio ob signum universale *Omnes* pluralitatem quandam importat.

Observ. Esse autem Angelorum multitudinem ingentem, alibi indicant Scripturæ, dum nobis Mahanaim *Gen. 32.* Castra Angelica. *2. Reg. 6. Ps. 34. XII.* Legiones. *Matth. 26.* millia millium & decies centena millia Angelorum *Dan. 7.* sistunt.

C 2

Thef.

Thef. IX.

Angeli à DEO adhuc hodiè hominibus mittuntur.

PRob. ex Textu. Missio enim Angelorum eis *diavol*
viav h. e. in ministerium eorum, qui hæredes erunt
salutis, & ut eos custodiant in viis suis, *Ps. 91.* (de quâ
in primis egregius accuratissimi Theologi *B. D. Höpf-*
neri Tractatus in *Ps. 91.* videndus) nequaquam ad cer-
tum tempus restricta, sed indeterminata est, omnibus
Puis ad mundi finem usq; certissimum assistentiæ An-
gelicæ præbens solatium.

Observ. 1. Missio Angelorum in ministerium pi-
orum, in Scripturis patefacta, fundamentum est pre-
cum nostrarum tam matutinarum, quàm vespertina-
rum, quibus à Deo Angelorum petimus assistentiam,
juxta formulam precum, à B. Luthero in Catechesi
præscriptam: *Dein Heiliger Engel sey mit mir /*
daß der böse Feind keine Macht an mir finde.
Amen.

Observ. 2. Missionem hanc & custodiæ Angelicæ
veritatem Exempla tam sacra, quàm profana testan-
tur solatio plenissima. Conf. *B. Chemnitius Tom. 1. Loc.*
de Angelis & *Beyerling. in Magno Vita Humanæ Theatro*
Tit. de Angelis.

Thef. X.

Angeli hodiè non mittuntur ad novas fidei Mysteriorum revelationes.

Quam

QVamvis enim mittantur propter Eos, qui salutem hæreditaturi sunt, tamen quia in Scripturis plenè revelata sunt, quæcunque salutis hæredibus sive creditu sive factu sunt necessaria, nihil causæ est, cur ab Angelis nunc novas expectemus revelationes eorum, quæ credenda vel agenda incumbant his, qui hæreditate salutem adepturi sunt.

Observatio. Miras Spiritus Fanatici præstigias de novis revelationibus, singulari & accurato studio refutarunt Dn. Theologi Hamburg. & Lübec. in peculiari Tract. German. & Nicolaus Hunnius in Tractatu Weigelianis opposito, nec non Dn. Theologi Hamburgenses in Tract. German. cui titulus *Quædærgreul.* & Dn. D. Johann. Potfaccus in *Anabaptismo reprobato*: Conferatur cum his Revelationum Divinarum, in usum seculi nostri quibusdam nuper factarum, Epitome superiori anno 1663. excusa, cum additamento: Ad citò quid sibi præsens terribilis mundi commotio velit pervidendum, indeque seriò metum DEI concipiendum, & per pœnitentiam veram ultimum interitum præveniendum. Ubi imprimis Christophori Kotteri, Christina Pontatovia, & Nicolai Drabicii Strafniceni Moravi, Concionatoris Evangelici anno 1628. in exilium ejecti, tam præterita quàm futura attinentes visiones Angelicæ recensentur.

De quibus & similibus conferri potest Tractatus D. Fabricii de Visionibus nostri Seculi, & quæ illi opposuit Stolterfoth, Wagnerus, & alii. Nec non iudicium Balduini in *Comm. c. 1. Epist. Hebr. Thummii in impietate Weigel. p. 38.* & *Decisio Facult. Theologica in Acad. VVittebergenli, de hac re A. 1643. exarata, cujus summa est:*

I. Prophetas propriè dictos hodiè nullos dari.

II. Donum Prophetiæ ultimis hisce temporibus affectare, esse periculosissimum.

III. Prophetiam, impropriè dictam sive prædictionem aliquam, non mysteria salutis, sed Historiam rerum futurarum, de rebus externis, etiam hodiè non esse simpliciter impossibilem, multò minùs sapientiæ aut bonitati Divinæ contrariam, sed adhuc quoties, ubi & quando DEO ita visum est, fieri posse.

Thef. XI.

Non Angelus solùm, sed etiam Angeli nobis à DEO mittuntur.

AD sunt non solùm Angelus homini, sed Angeli Hominibus, etiam plurimi singulis. Conf. *inf. cap. III.*

Obs. 1. Quamvis de Angelo custode non pauci ex Patribus, imò & ipse Lutherus in oratione matutina & vespertina (Sanctus tuus Angelus adsit mihi) sæpiùs loquantur, nequaquam tamen illud exclusivè intelligendum est.

Obs. 2. Unicus enim Jacobus habet non unicum solùm custodem, sed numerosissima castra Angelica. *Genes. 32.* unicus Elias Equo videt & currus igneos montem occupantes. *2. Reg. 6.* imò castrametatur Angelus Domini. *Psal. 34.* Et promissio universalis, Angelis suis mandavit de te, (individuo humano) plana

plana est, & omnibus dubiis removendis sufficiens.
Conf. B. Gerh. Disp. Isag. & Comment. in Genes. nec non
B. Höpfnerus in Psal. 91.

Thef. XII.

Angeli mittuntur propter Homines.

Angeli sunt Spiritus administratorii, missi propter
hæredes salutis.

Observatio. Patet vel ex h. l. ineffabilis Generis
Humani dignitas, de qua ita Bernhardus:

Domine, quid est homo, quia innotuisti ei,
aut quid apponis erga eum cor tuum? Apponis cor
erga eum; geris pro eo sollicitudinem, curam illius
habes, denique ei mittis unigenitum tuum, immit-
tis Spiritum tuum, promittis vultum tuum; & ne
quid vacet in cœlestibus ab opere sollicitudinis, bea-
tos illos Spiritus mittis *in ministerium*, custodiæ no-
stræ deputas, nostros jubes fieri pædagogos: Parùm
enim est, quòd facis Angelos tuos Spiritus, facis &
Angelos parvulorum.

Angelis suis mandavit de Te:

Mira dignatio & verè magna dilectio caritatis.
Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit. Studio-
sè consideremus, diligenter commendemus memo-
riæ hoc tam grande mandatum!

Man-

Mandavit de Te: Tu quis es?

Domine quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quòd reputas eum? quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis?

Thef. XIII.

Angeli mittuntur propter fideles.

Mittuntur enim propter eos, qui futuri sunt hæredes salutis.

Observ. 1. Quamvis Angeli mitti dicantur in ministerium propter eos, qui hæredes erunt salutis, non tamen excludendi sunt *ἀπιστοι* sive illi qui ad tempus credunt, & tempore tentationis deficiunt, *Luc. 14.* Qui licet hæreditatem salutis non consequantur, tamen quamdiu credunt, spe salvi sunt, *Rom. 8. 24.* & proinde protectione Angelicâ non destituuntur.

Observ. 2. Hinc Angeli 1. intersunt conventibus fidelium, 2. adstant orantibus. *Dan. 9.* 3. adsunt Piis in vitæ ingressu, Progressu, Egressu, & speciatim Verbi ministris, & Auditoribus, Magistratibus & Subditis, Parentibus & Liberis, Heris & Servis. vid. *B. Chemnitius Part. I. Loc. Conf. Exempla collecta à Beyerlingio in Magno Vita Hum. Theatro.* 4. animas Piorum deportant in sinum Abrahæ. *Luc. 16.*

CAPUT

ANTITHESIN.

Non animus est omnes veterum & recentiorum errores de Angelis hîc recensere & executere: hoc enim nimis foret prolixum. Nec etiam immorabimur iis, quæ sine certis Scripturarum fundamentis Scholastici majori subtilitate, quàm utilitate, scepticorum more, in utramque disceptant partem: Cujusmodi sunt quæstiones

I. De Angelorum differentia, sitne specifica, an numerica tantum? quorum prius Thomas, Cajetanus, Bergomensis, Hervæus, Ægidius &c. quos citat Vazquez *in 1. Thom. disp. 181. c. 1.* posterius itidem Thomas, sibi non constans, & Capreolus, Ferrariensis, referente Vazquezio d. l. statuunt. Quod posterius tamen Alexander, Gabriel, Dionysius, Carthusianus & Marsilius apud Vazq. d. l. saltem de Angelis ejusdem ordinis intellectum volunt, rati, quòd qui diversi sunt ordinis, specie differant.

Vazquez verò c. 3. quamvis probabile esse iudicet, Angelos posse solo numero differre, fatetur tamen, an numero solo, an specie differant, occultum esse.

II. De illorum incorruptibilitate, utrum naturâ suâ, an gratiâ DEI sint incorruptibiles? quam prolixissimè pertractat Vazquez *l. d. Disp. 182.*

D

III.

III. De illorum apparitionibus, utrùm in corporibus assumtis verè, an solùm secundum imaginationem sensus appareant? & si verè in corporibus assumtis appareant, quæ & qualia sint corpora assumta. Qua de re prolixè videatur *Vazquez d. l. Disp. 184.*

IV. De operationibus Angelicis in assumtis corporibus, An & quæ operationes vitæ ab Angelis in assumtis corporibus fieri possint? Qua de re *Vid. idem Vazquez disp. 186.*

V. De Angelorum existentiâ in loco vel ubi, an verè in loco sint? & quæ ratio sit per quam in loco esse dicantur? De quibus tot ferè extant Scholasticorum commenta, quot capita. Ea produxit & expendit operosè *Vazquez l. d. Disp. 187. 188.* Quò pertinet & quæstio, an simul in locis diversis Angelus esse possit? quam *Vazquez d. l. Disp. 190.* tractat. item aliæ de loci determinatione, num Angelus habeat determinatum locum, ut in majori aut minori esse nequeat? de loci indivisibilitate, an possit esse in loco indivisibili? de ejusdem communione, an plures Angeli simul in eodem loco esse possint? nec non de motu locali, an localiter Angeli moveri possint? Quas longâ serie & operosè *Vazquez pertractat Disput. 190. & seqq.*

VI. De Angelica operatione, num ea necessariò Angeli ipsius requirat præsentiam? de qua idem videatur *Vazquez l. d. Disp. 189*

VII. De cognitione & de intellectu Angelico, num agens sit & possibilis? de medio cognitionis
Ange-

Angelicae, & num intelligant per species? num species accipiant a rebus? num seipsum Angelus cognoscat? num cognoscat Angelum alium? item quomodo DEUM naturaliter cognoscat? num cognoscat singularia, futura contingentia? num cogitationes & affectus cordis nostri virtute propria certo cognoscat? utrum cognoscat mysteria, & quidem viribus naturae? an vero ex revelatione? num intellectus unius Angeli ab alio illuminetur? & quae id genus alia sunt, quae *Vazq. d. l. à Disp. 200. usq. ad Disp. 232.* non absque lectoris fastidio pertractat.

VIII. De locutione Angelorum, quo pacto inter se loquantur? An possit Angelus loqui cum altero in quacunque distantia? An unus alteri ita loqui possit, ut alii non audiant, etiamsi velint? quibus *Vazquez d. l. totam Disp. III.* & duas sequentes impendit.

IX. De Angelorum potentia, an per eam produci possit forma substantialis in materia? An & quae accidentalis forma produci per illam in materia possit? Quid in nostram imaginationem Angelus aut daemon possit? quas *Vazquez d. l. Disp. 218.* tractat.

X. De ordinibus Angelorum, de momento creationis illorum, de loco creationis, & aliae ferè innumeræ, de quibus omnibus acerrimè & audacissimè disputant isti otiosissimi subtilitatis spinosæ Magistri, & tricarum inextricabilium fabri, ut meritò usurpare de illis liceat illud *B. Gerhardi in methodo studii Theologici p. 215. De ordinibus Angelorum, de caelo Em-*

pyreo &c. tam audacter disputant, ut merito aliquis
quærat, quam nuper è cœlo delapsi sint. Scitè et-
iam Ludovicus Vives in *annot. ad Augustini lib. 13. de C.*
D. c. 1. Recentiores, inquit, qui commentarios in
sententias scripserunt, modò arbitrariis conjecturis,
modò rationibus ex hâc naturâ rerum petitis, quic-
quid eis in mentem venit, confidentissimè definiunt.
Audio illorum rationes, sed planè video in tenebris
eos ingredi, nec pedetentim ac palpantes velle pro-
cedere, sed cursu se quo intendunt proripere, nulla
veritos præcipitia. Conferat, qui vult, quæ de illa
ματαιολογία Scholasticâ fusè & ut solet, doctè differit
Erasmus in notis ad 1. Timoth. c. 1. Nos memores illius
Ambrosii, vel potiùs, ut aliis placet, Prosperi: *Quæ*
DEUS occulta esse voluit non sunt scrutanda, quæ verò sua,
revelationi manifesta fecit, non sunt negligenda, ne in
illis illicitè curiosi, in his damnabiliter inveniamur ingra-
ti. item illius triti: *Nescire velle quæ Magister maxi-*
mus nos scire non vult, erudita inscitia est; à prædictis
& similibus quæstionibus otiosis, de quibus nec ex
textu nostro, nec aliunde ex Scripturis certi quid de-
terminari potest, consultò abstinemus, in illas sal-
tem quæstiones controversas quæ textum nostrum
propius attingunt, cogitationes nostras conversuri.
Esto igitur

Assertio I.

Angeli non sunt corporei.

Corporeos esse Angelos, h. e. essentiam illorum
constare corpore, quamvis subtili, statuerunt
Patres antiquiores non pauci, & inter illos Origenes,
Cæsarius, Tertullianus, Hilarius, Augustinus, &
alii:

alii: à quibus nihil vel non longè abeunt ex Schola-
sticis Bonaventura, *Tom. II. Dist. III. p. I. a. I. q. I & II.*
Richardus ibid. a. I. q. II. & a. II. q. I. & II. & Aureolus
apud Capreolum *eād. d. q. I. a. II.*

Verùm opinioni huic reclamatur noster textus, in quo
disertè dicitur, Angelos omnes esse *πνεύματα SPIRITUS.*
Quamvis verò non negemus, vocem spiritus tribui
etiam rebus corporeis, v. g. vento, aëri, tamen
quando de vivente & intelligente substantia propriè
quidem accipitur, denotat substantiam incorpoream,
omnisque materiæ expertem. Quod inductione
exemplorum ostendi potest. Nulla enim intelli-
gens substantia dicitur propriè *spiritus*, præter DEUM,
animam rationalem, & Angelos. De DEO autem
& anima rationali constat, & evidenter probari pot-
est, quòd immateriales sint. Neque etiam aliqua
necessitas cogit, ut de Angelis adhibitam vocem *spi-*
ritus accipiamus aliter, eamque substantiam mate-
rialem & corpoream denotare dicamus. Ergo de
Angelis etiam accepta denotat substantiam incorpo-
ream & immaterialem. *Vid. Max. Rev. DN. PRÆSES,*
Præceptor atq; Patronus meus obsequiosè veneran-
duS, qui hanc Q. fusiùs & quidem accuratissimè per-
tractat in Disp. Theol. VI. §. XII. & seqq.

Assertio II.

Falsum est, non omnes Ange-
los esse ministrantes.

Contradicit enim Apostolo h. l.

ET nihilominus Contrarium passim defenditur à
Doctoribus Pontificiis, qui innixi loco Danielis *c.*
VII. 10. Millies mille ministrabant ei; & myrias myri-

D 3

adum

adum astabant ei; statuunt, quosdam saltem Angeles, quamvis numero multos, esse ministrantes, alios autem, multò plures, non ministrantes, sed tantùm adstantes esse, qui nunquam mittantur in ministerium. Contra illos ex ipsismet adversariis veritati & nobis adstipulantur Johannes Maldonatus, & Cornelius à Lapide, quorum prior *in Comm. inc. 7. Dan.* ita commentatur: Multa occasione hujus loci, paulò fortassè liberius à Scholasticis Theologis de numero & officiis Angelorum disputantur, nosque sexdecim eorum opiniones, cum illo docendi munere fungeremur, recitavimus. Duo me, quod ad hunc locum spectat, dixisse memini, quæ mihi etiam nunc placent. Alterum est, nihil aliud ex hoc, & ex aliis similibus Scripturæ locis colligi posse, quàm Angelorum multitudinem finitam quidem, sed innumerabilem esse; Alterum, non esse diversa Angelorum officia, sed unum & idem assistere & ministrare.

Est enim posterius prioris repetitio, & solent qui ministrant, adstare DEO, intentosque in illum oculos habere &c.

Posterior *in Comm. Hebr. 1. scribit ad h. l.* Probabilior est sententia, omnes omninò Angelos à Deo mitti, id enim hîc clarè dicit Apostolus. Respondet (inquit porrò) D. Thomas dupliciter, primò, Apostolum non loqui de omnibus omninò Angelis, sed iis tantùm, qui Hebræis legem dederant; iis enim præfert Christum, ut probet legem Christi præstantiorem esse lege veteri. Sed hoc non satisfacit. Dubium enim

I. Est

I. Est, ex quo ordine fuerit Angelus, qui dedit legem Hebræis &c.

II. Apostolus probat hîc Christum esse Deum, ex eo quòd omnibus omninò Angelis sit superior, quodque ab omnibus Angelis adorandus sit: E. Angelos omnes, etiam Cherubim & Seraphim hoc loco intelligit.

III. Quia pari modo Apostolus *Eph.* 1, 21. & *Col.* 1. 13. Christum præfert omnibus omninò Angelis, etiam Thronis & Dominationibus. Respondet secundo S. Thomas, omnes omninò Angelos mitti, sed assistentes interius tantum, ut scilicet illuminent inferiores; ministrantes verò mitti exterius ut iussa exequantur.

Sed & hoc subtilius, quàm solidius dicitur: nam (1.) mitti in ministerium absolutè est mitti exterius ad exequendam Dei voluntatem. (2.) Quia *Esaiæ* 6. dicitur unus de Seraphim, qui supremus est ordo, missus ad *Esaiam*. (3.) *Gen.* 3, 24. missus est Cherubim, qui secundi est ordinis ad custodiendum paradisum. &c.

Assertio. III.

Falsum est, Angelos piè atque

utiliter à Viventibus invocari, uti statuit

Bellarmin. lib. 1. de Beat. San-

ctorum. §. 1.

§. I. Nam

§ I. Nam quicumque sunt πνεύματα λειτουργικά,
& ipsimet honorem divinum tanquam sibi indebitum
repudiant, prohibent, atque Deum adorare jubent,
illi non sunt invocandi, At Angeli &c. E. Conf. *Apoc.*
19, 10. c. 22. 9.

§ II. Quæritur h. l. non de honore qualicumq;
Angelis deferendo, sed de religiosâ invocatione, quæ
ut soli Deo debetur, & majestatem omnipræsentiæ,
omniscientiæ & omnipotentia præsupponit, (Conf.
B. Gerh. Tom. 8. p. 683.) ita Angelis citra idololatriæ no-
tam tribui non potest. Videantur loca Scripturæ
Matth. 4, v. 10. Apocal. 22, 9. Conf. B. Gerhard. Tom. 8.
LL. pag. 695.

Assertio IV.

Falsum est Angelos referre ad
Sanctos statum nostrum, ita ut Sancti calamita-
tes nostras ex relatione Angelorum cogno-
scant, ut nonnulli Pontificii apud Bel-
larm. l. 1. de Beat. Sanct. c. 19
contendunt.

NAm I. hoc ipsum gratis & sine Scripturarum te-
stimoniis fingitur.

II. Preces piorum peraguntur sæpè internis
cordis cogitationibus, quæ Angelorum cognitioni
obviæ non sunt, sed Deo soli notæ, 1. *Reg. 8. Psalm. 7.*
Quod ne Bellarminus quidem diffiteri potest, qui d. l.
agnoscit, Nec Angelos, etiamsi præsentis, cognoscere
posse naturaliter preces nostras, quando solâ cogita-
tione oramus. Asser-

Assertio V.

Errant, qui certos quosdam

Angelos, tanquam certarum provinciarum aut certorum hominum præfides vel custodes invocant.

PRæterquam enim, quòd Angeli invocandi non sunt, ut superiori assert. 3. ostensum, distinctio etiam officiorum Angelicorum, quòd certi Angeli certis populis, provinciis aut regnis præfecti sint, Scripturarum fundamentis destituitur. Constitui quidem solet hujus rei fundamentum in *Danielis cap. X.* de quo ita *Becanus in Theol. Scholast. Tract. 3. de Ang. cap. 6. Conclus. 2.* Introducuntur quatuor Angeli, quorum unus erat Princeps Persarum, alter Princeps Græcorum, tertius Gabriel princeps captivorum in Perside, quartus Michael princeps populi DEI. Inter Principem Persarum & Gabrielem erat dissensio, an Judæi essent liberandi ex Perside nec ne? Negabat Princeps Persarum, Gabriel affirmabat: nimirum uterque causam agebat pro gente sibi commissa.

Nam Gabriel contendebat, Judæos liberandos esse, ne si diutius in Perside hæerent, paulatim imbibere mores Persarum, & relicto verò DEO, ad idola se converterent. Alter contrà urgebat, persistendum esse in Perside, tum quod Persæ discerent à Judæis cultum & religionem veri DEI, tum etiam quòd Judæi meliores essent rebus adversis, quàm prosperis. Verùm locum hunc non probare solidè quòd probandum est, in ipso conflictu ostendemus. Inte-

E

rim



rim verbis textus nostri insistentes, dicimus: Omnes
Angelos esse Spiritus ministrantes; de eo autem,
quod cuique genti aut provinciæ certus quidam An-
gelus constitutus sit præses, tacente Scripturâ, tace-
mus.

Affertio VI.

Falsum est, Angelos adesse a-
nimabus, in purgatorio patientibus, easque solari
& suâ intercessione tandem ex illo liberare.

Dissentit à nobis Laurentius Beyerling, Theolo-
gus Protonotarius, Canonicus & ArchiPresbyter
Antverpiensis, in magno vitæ humanæ Theatro, qui
Tom. 1. p. 437. lit. A. refert ex Blofio, Sanctos Angelos,
animabus in purgatorio dolentibus, lumen cognitio-
nis, subsidiumque & solamen præstare; Ita ut S.
Brigitta viderit animam cujusdam Regis, qui malè
quidem vixerat, sed in ultimo vitæ articulo poenitens
illud consecutus fuerit, ut Christus Judex dixerit ad
Diabolum & ad Angelum animæ custodem: Tu Dia-
bole turbabis hanc animam; Sed *Tu Angele consolaberis
eam, donec ad claritatem gloria perducatur.* Et idem
Salvator animæ purgandæ: Tibi permittitur, ut ad
Angelum sanctum respicias, & consolationem ab eo
recipias, sisque particeps sanguinis mei, & oratio-
num Matris meæ, atque Ecclesiæ sanctæ.

Et *Tom. 6. p. 839. lit. P.* ex summâ Antonini re-
fert, quòd quædam anima migraverit ad ignem pur-
gatorium, & indè ad horam ab exitu de hoc mundo,
apparue-

apparuerit ei in purgatorio Angelus confortans, &c. Cui dixerit: Roga Dominum meum, ut non respiciat ad insipientiam meam, & tu pro me intercede apud eum, ut reducar ad vitam priorem, &c. Forsan etiam Angelus panis Librator fuit Petri Telonarii, de quo idem Beyerling. *lit. M. p. 576. a.* memorat, quòd cum opibus afflueret, dubitatum fuerit, utrum ditior an avarior esset. Hinc inter mendicos ortum esse certamen, donec factum, ut irâ concitatus & furore ardens repente arreptum panem (panes enim casu ancilla è fornace domum coctos referebat) in faciem precantis projecit &c. Quo facto, Petrus ille narravit, sibi visum fuisse, se ante tribunal DEI in cœlo sisti, ab aliis accusari, ab aliis defendi: in altera libræ lance peccata sua appendi: in alterâ unicum panem illum, quem ipse quondam projecerat iratus &c. *Egregium profectò exemplum, quod vel ipsum Euclionem moueret, & liberalem efficeret?* Imò egregium facinus, non modò *septies* iteratâ Beyerlingianâ repetitione, verum etiam sonoro uxoris S. Gangolphi applausu, (quò ipse exanimis, teste eodem Beyerlingio, *lit. S. p. 160. c.* contemptum miraculorum suorum vindicare ausus est,) longè dignissimum!

Et *p. 840.* ex Bedâ *lib. 5. Hist. Anglicana cap. 13.* inducitur in visione, quam ipse refert, Angelus, ad animam defuncti ita locutus: *Multos preces viventium, & eleemosyna, & ieiunia, & maximè missarum celebratio, ut ante diem iudicii è purgatorio liberentur, juvant.* Sed fabulæ sunt, adeò omni probabilitatis specie destitutæ, ut eas recitasse, refutasse sit: in quibus impugnandis proinde chartam & tempus non perdemus.

Assertio VII.

Falsum est; Angelos in coelis

missarum solennia celebrare.

FAbulam ex Surio repetit Beyerling. Tit. Angelus
pag. 424.

Cum Venantius Abbas de Basilicis Sanctorum die Dominica, expletâ oratione, reverteretur, super bacillum sustentatus in medio confessoris atrio, erectis auribus oculisque ad coelum diutissimè attentis, stetit immobilis: Deindè motus à loco coepit dare gemitus, ac suspiria longa producere: interrogatusque à suis, quid hoc esset, aut si aliquid divinum fuisset intuitus, respondit: Væ nobis inertibus & pigris: *Ecce jam in Cælo missarum solennia expediuntur, & nos segnes nec inchoare cæpimus hujus mysterii Sacramentum.*

Verè, inquit, dico vobis, quòd ego audivi voces Angelorum in coelis, Sanctus, in laudem Domini proclamantes, & dicto citius in monasterio missarum solennia jusfit expleri. *Vid. ibid. p. 437.*

Assertio IIX.

Basilicas Michaëli Archan-

gelo proptereà in orbe Christiano extructas esse, quòd variis apparitionibus per miracula multa cum in orientali tum in occidentali Ecclesiâ se conspicuum fecerit, figmentum est.

Becanus

BEcanus in *Theol. Scholast. Tract. 3. de Ang. c. VI.* inquit: Variis apparitionibus D. Michael partim in occidentali, partim in orientali Ecclesiâ per multa miracula conspicuum se fecit. Hinc tot Basilicæ in orbe terrarum illi erectæ sunt. Prima in Apulia in monte Gargano, ab ipsomet Michaelæ ædificata. Secunda Romæ, in monte Adriani à Bonifacio Papa, quòd ibi visus sit Michael in signum pestis cessantis, gladium exertum in vaginam recondere. Tertia Romæ in foro piscario, &c. Vide Fabulas ex Breviario Romano Chronico Sigeberti, & aliis, apud Beyerling. *d. l. pag. 425.* Quarum vel sola commemoratio, exsibilatione digna, cordatis est ipsa refutatio.

Assertio IX.

Falsum est, Pontificem Romanum posse mandare Angelis, ut Romam abeuntium animas ad mercaturam indulgentiarum, deportent ad Coelum.

Videatur Bulla P. Clementis VI. apud Hoornbeek, in Bull. P. Urbani IIX. de Jesuitissis &c. quâ mandat Angelis Paradysi &c. quandò inter alia ita ait: Et nihilominus prorsus *mandamus Angelis Paradysi, quantum animam à purgatorio penitus absolutam in Paradysi gloriam introducant. &c.* Confer ex Augustino Triumpho verba quæ repetit *Hafenreß. p. 552.* quod ejus potestas sit infinita, quia data sit ei omnis potestas in Cœlo & in terrâ, ita ut ei genua cuncta curventur cœlestium, terrestrium, & inferorum.

E 3

Assertio

Assertio X.

Falsum est, Angelos esse Te-
stes Franciscanarum indulgentiarum.

REFERT B. Chemnitius *p. 4. Exam. Conc. Trid. fol. 78. b.*
exBernhardini Rosario, quòd Franciscus veniens
ad Papam Honorium impetraverit indulgentias ple-
narias in Ecclesiâ S. Mariæ de Angelis apud Assisi-
um. Egrediente autem (inquit porro) Francisco Pa-
pa dixit: ubi habes Bullam? At ille respondit: Nul-
lum de hâc re volo instrumentum: Sed sit beata Vir-
go charta. Notarius seu plumbator Christus, *Ange-
li testes*, sigilla stigmata Francisci.

Ubi meritò addit Chemnitius: Atque ita imple-
tum fuit Pauli illud: propterea quòd non receperunt
dilectionem veritatis, misit illis Deus efficaciam illu-
sionis, ut crederent mendacio.

Et *pag. 77. a.* Nostris hominibus, qui sub Papatu
non vixerunt, talia vix de nomine nota sunt: & *prodest,*
memoriam talium imposturarum ad posteritatem propter
multas causas conservare.

Sed hæc sufficiant,

ut Dissertationis hujus sit

FINIS,
DEO GLORIA.

QVàm divæ Tibi Scripturæ rerumq; sacrarum
Solida cognitio parva labore fiet;
Theilologicæ dum verba facis de ponte cathedræ,
Doctâque objectas diluis arte strophas,
Testatum facis egregiè, præclare OLEARI,
Cara viris doctis portio, cara bonis.
Nunc Tibi nostra Tuis decernit digna brabeja
Eusebie meritis, digna labore tuo.
Quæ Tibi pertenui congrator carmine: Jova
Annuat, ut sibi sint grata, decus patriæ!

*Per-Reverendo & Clarissimo Dn. Doctorando, Amico suo
perdilecto & honorando, Amicæ & benevolentie
testandæ causâ facieb.*

PRÆSES.

Ad

Per-Reverendum, Amplissimum atq; Clarissimum

DN. DOCTORANDUM,

Amicum suum & Commensalem honoratissimum:

QUam studiis metam fixisti, præmia digna,
Promittit meritis nostra SALANA Tuis.

AUGUSTUS Vester dabit his *augmenta* sereno

Vultu; Patronum quem Tibi JHOVA dedit.

Sic igitur cathedram lætus pete, dogmata VERBI

Defende, ut maneat Angelus ipse sacer!

*Benevole gratulationis causâ
faciebat,*

CHRISTIANUS CHEMNITIUS,

SS. Theol. D. P. P. Pastor & Superintendens.

Reveren-

Reverendo perquam CLmo
DN. M. IOH. GOTTFRIEDO
OLEARIO,
SS. Theol. Doctorando, eidemque SS. Theol. ac
Phil. Moral. Profefs in Gymn. illustri Weis-
senschaftensensi designato,

*Pro consequendis summis in Theologiâ honoribus
publicè disputaturo,*

FELICITER!


* * * * *
Ultima nunc superest pugna hæc, mox digna capesse
Præmia, quæ æques magnum celebremque Parentem.

*Singulari affectui testando gratula-
bundus scribebam*

Joh. Ernestus Gerhardus,
SS. Theol. D. & Prof. Publ.










153 044

ULB Halle

3

003 484 998




5b

AB 153044


VD 17





Viel...
M...





66.

IN NOMINE JESU!
ANGELOLO.

GIA APOSTOLICA,

ex Hebr. I. ult.

In Solenni atque inaugurali **DISPUTATIONE**
repetita,

Quam

Ex Decreto Venerandæ atq; Amplissimæ Fac. Theol.

IN ILLUSTRi ACADEMIA JENENSI

SUB PRÆSIDIO

Viri maximè Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS MUSÆI,

SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROF. P.

PRIMARIi,

PRO LICENTIA

Supremum in S S. Theologiã

Gradum consequendi,

Ad diem 13. Octobr.

Horis ante - & pomeridianis

publicè ventilandam

proponit

M. JOHANNES GOTTFRIDUS OLEARIUS,

Designatus Gymnasii Augusti Leucopetr. Professor

Theologiæ & Philosophiæ Moralis.

JENÆ, Typis JOH. JACOBI BAUHOFFERI,

ANNO M, DC, LXIV.

V. B. M.

